

per nos deduci potuissent; ob hoc Nos eosdem Status et Ordines dictorum Regnorum Croatiae et Sclauoniae pro clementi nostra, qua semper in eosdem ducimur, propensione, in verbo nostro Regio assecuramus, nos sedulo curaturos ac elaboraturos, vt praemissi Articuli et Constitutiones effectuentur; qui si ante susceptionem Regiminis Nostri Regni Hungariae aliquo modo in effectum deducti non forent, Nos statim tempore apprehensionis regiminis dicti Regni Hungariae omnes modos et rationes inituros et adinuenturos, vt tam praetitulatae Vienneses Constitutiones et Articuli in effectum deducantur, quam vero de certo et indubitato stipendio et restauratione Confiniorum Banalium prouisum sit. Interea tamen in conferendis Capitaneatibus, Praefecturis aliisque officiis Confiniorum Croatiae et Sclauoniae aequalem Indigenarum eorundem Regnorum cum Prouincialibus nostris rationem habituros semper; atque supremis Praefectis et aliis Capitaneis benigne ac serio mandaturos, ne se in Jurisdictionem Dominorum Terrestrium et liberarum Ciuitatum intromittant. Denique Vallachos in terris Statuum et Ordinum praefatorum Regnorum Croatiae et Sclauoniae residentes, quos Sacra Caesarea Maiestas Jurisdictioni Dominorum Terrestrium per speciales Commissarios, sub hac Diaeta nominandos, applicare et subiicere benigne promisit, Nos etiam nec per Nos, nec per Generales aut Capitaneos Confiniorum impediemus, quin potius litteras ad eosdem Generales et Capitaneos statim expediemus, ut cum primum dicti Commissarii Suae Caesariae Maiestatis et Regni ad Tractatum descenderint, omnem manum suam a Jurisdictione dictorum Valachorum eximant et determinationi eorundem Commissariorum sese accommodent. Super quibus praemissis omnibus dictos Status et Ordines Regnorum Croatiae et Sclauoniae vigore praesentis Diplomatis nostri, propria manu nostra subscripti et sigillo nostro muniti, assecuramus. Datum Posonii decima quinta Calendas Julias. Anno Christi MDCXVIII. Ferdinandus. Nos itaque petitione praelibati Domini Petri Domitrouich, Episcopi Zagrabiensis, vtpote iusta, beneuole admissa, praescriptas litteras antefati Serenissimi Principis ac Regis Domini nostri Clementissimi, non abrasas, non cancellatas, neque in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus suspitione vitioque carentes, praesentibus nostris de verbo ad verbum sine diminutione et augmento aliquali insertas et inscriptas, sigilloque nostro et manus propriae subscriptione communitas, eidem Reuerendissimo Domino Episcopo Zagrabiensi dandas duximus et concedendas. Datum Posonii Sabatho proximo ante Festum Sancti Joannis Baptistae. Anno Domini Millesimo Sexcentesimo Decimo Octauo.

Comes Sigismundus Forgach de Gyemes m. p.

Emericus Zkolek m. p.

(*Locus Sigilli authentici Palatinalis.*)

Orig. chart. in Arch. Reg. Croat. Priv. N. 138 et transumptum in Protocollo Regni Congr. 1601—1645, p. 270.